


BIBLIOTEKA
Zakł. Nar. im. Ossolińskich


XVII 2645



4.392

Manila





ORBIS PHILOSOPHICVS

Seu

C O E L V M

E T

Quatuor ELEMENTA.

Publicæ inspectioni velitationique
PROPOSITA.

A
SIMONE LVDOVICO FASCISZEWSKI
*Canonico Regulari Lateranen. Ecclesie Sanctiss:
Corporis Christi Casimiræ ad Crac.*



CRACOVIAE,
Ex Officina Typographica Francisci Cæsarij.
Anno Domini 1636.

4.392

Cuncta fecit bona in tem-
pore suo, & mundum tra-
didit disputationi eorum.

Eccles: 3.



XVII - 2645 - III

CRACOVIA

Ex Officina Typographica Francisci Gajdosi
A. 1711. Romae

Admodum Rñdo Domino,
D. M A R T I N O
K Ł O C Z Y N S K I,
I. V. D. Canoniorum Regularium
Congregationis Lateranē. Eccl: SS. CORPORIS
CHRISTI PRÆPOSITO Optimo.

SIMON LVDOVICVS FASCISZEWSKI eiusdem
Instituti & Conuentus Fr. Professus F. P.

Romanis rerum Dominis solemne fuit emerita magnanimorum tempora heroum concoloribus elucubrata virtutis incingere ad plausum coronis. quidni enim coronarentur, quorum exundantes, pro aris ac focus, exsudatorum eluiones laborum sistere & serenare haud quidquam præter honorariam potuit Coronam? Nec verò Prælate Ampliff: Te Nobis, aurei felices horæ seculi, Tyronem mollicellas ad opus ferentem palmas dedere, emeritus, veteranus, *Lyfimachus* noster es. Albicantes ista cani verticis tui niues, mutâ, sed nimium nimiumq; ad posteros, vocali perorant eloquentiâ, Te religioso Amori militantem, diutissimè sub dio hyemasse. nec enim *crystallinus* iste ningentis cæli ros gemmare in iis solet, quos pigra domi testa cœercet. Et potes aliud à nostra Gratitudine brauium expectare nisi Coronam? Non nescimus equidem Te toties præclarâ factorum gloriâ coronatum, quoties coronato Amoris triumphantis au-

ro, Nos Domumq̄ nostram irradiasti, atque ita irradiasti, ut
caliginosi noctemq̄ ferentes, minimè amplius timendi sint dies;
ne tamen nostræ, æternum Tibi obæratæ, nil dare valeant men-
tes, Cœlum ecce Tibi, suâ nitenti cum familiâ, hoc est, melio-
res Mundi totius diuitias, circinant in coronam. Cur non
enim Cælo coronetur, cuius peruigiles, in emerendum Cœlum,
perpetim sudant labores? qui omnibus actibus, melius quàm
vetus Anaxagoras digito in cœlum tendit? qui cum auaro su-
pernorum Archymede Cœlo statuit immori capiendo? Ponant
iam alij Cœlum in manibus, in oculis auribusq̄ ponant, ego il-
lud capaci magnorum capiti implecto; cum, neque Tu alio,
tam grâde depositum serues loco, nec Cœlum ipsum ullâ magis
gaudeat in sede morari, ut in Regia rationis. Ergo, siue Sol
coruscus es? Cœlum, in quo rutilum explices iubar, Sol noster
habe. siue baiulus magni oneris Atlas? Cœlum itidem, quod
feras, noster Atlas habe. seu florilega apis? Cœlum iteratò, in
quod dulcia constipes mella, pro alucri habe. seu laboriosus,
in commissa Tibi virtutum officinâ, artifex es? Cœlum, ad
quod fessam curis aciem restaures ac recrees, vsq̄ & vsq̄ habe.
siue Mystes religiosissimus? Orbem utrumque, Diuini iussu
Numinis, ô sacre Superûm interpres, pro togâ habe. Ac istud
quidem chartaceum, verbale, litigiosum, Philosophicum Cæ-
lum dare grati possumus; solidum verò illud, viuus rerum for-
mis locupletissimum, perenni sudum ac serenum luce, diuinum,
non nisi vouere & apprecari, Tu autem, ut laboriosus es, po-
tes & emereri. Interim viue Cœlo togatus, Cœlo coronatus
viue, siue, ut cum Romanis voueam, anna, perenna, rediui-
uumq̄ Nobis longæuâ senectute Nestorem redde.

CORPVS MVNDANVM.

MVndus cenfetur compages vniuerfi, Cælum & quatuor vulgata continens elementa. Æternum de facto effe, Ariftotelis fententia fuit; cepiffè in tempore, dogma fidei eft. Æterna tamen ac omnipotens Dei manus poterat mundum condidiffè æternum, quò ad entia tam permanentia, quàm fucceffiua. Generationes hominum ferie iftâ qui expungunt vt infinitum categorematicum effugiant, è Scylla fugiunt in Charybdim.

2. Sifte lachrymas ô infatiabilis terrarum helluo Alexãder Magne, vnicus mundi Orbis eft, plures ne fufpira. Perfectum eius ftatum rerum ornata commonftrat varietas; quem animalia noxia & plurima nature deerrantis vitia nõ fætidunt, fed aliorum collatione decorant. Potuit tamen mundus & quò ad fubftantiam, & quò ad accidentia, perfectior à summâ exhiberi perfectione.

3. Natale mundi tempus, feu Ver fuiffe dixeris, feu Autumnum non renitar; illi Doctorum authoritas, huic rationum patrocinantur momenta. Sex diebus operatus eft mundum Dominus, feptimo requieuit ab vniuerfo opere quod patrârat. In ftatu, quem de facto poffidet, vt ab æterno creari non potuit, ita durare nequiret æternum.

NATURA COELI.

4. Cælum celfiffima mundi portio eft, materiâ formâq; confans iuxta Ariftotelis quoq; mentem. Vt naturam eius ab interitu vindices, fruflra materiam diuerfæ in

illud vehis speciei, habeat nostratem; nunquid continuò sede ruet suâ? at quo pacto nostra post diem iudicij corpora æternùm stabût? quo pacto adamas agrè dissoluitur?

5. Sphæram cœli corruptionis nesciam esse, Canon est, sed Concilij Peripatetici, falso proclamatus fundamento. quod negassent cœlum factum in Tempore. Verius Ecclesiæ sanctæ decretum, Cœlos arduos, & quò ad substantiam innouandos. Materiam eorum nostrati non absimilem, naturam interitus consciam, noua stellarum Cometarumque in eo sæpiùs conspectorum Phænomena demonstrât.

6. Firmiter nihilominùs stat, ideoq; Firmamentum dictum, quod fluxæ labilisque naturæ cum sit, tot sæcula tamen superauerit, ac si ære fustum esset, vt rectè aquæ quæ supra cœlos (non aëreos sed sydereos) sunt, laudare Dominum iubeantur. Nimia quippe, Magister inquit Sententiarum, laus est, quod & tenuitas cœlorum firma consistat, & aquas, quæ grauiores sunt, sustineat.

7. Ergo durum & adamantinum esse cœlum ne putato, eoq; sine tot excentricos & epicyclos non struito. Liquidam eius substantiam Sanctorum Patrum vrget fateri authoritas, solida Physicorum cogit ratio, liquidissimæ Astronomorum nostri temporis planè conuincunt apodixes. vt volucres aërâ, sic astra secant cœlos.

8. Cœlos plures prisca Astrologorù ætas inuexit. Quid si Aristoteles suiq; asseclæ Christum Dominum multas in domo Patris sui mansiones prædicantem audiuisent? Capiet, vtinam quàm plurimi digni simus, omnes Empyreum, ultra hoc sufficiat Philosopho orbis vnus, stellas, Planetasque sustinens.

ACCI-

9. Cœlum sydereum propriâ non gaudet luce, à Sole astrisque omnem mutuatur. Planetæ quam habent, Soli acceptam referunt. Stellæ fixæ genuinâ natiuâq; pollent, in ratione virtutis à Solari, specie quodammodo distinctâ; propriam earum lucem arguit scintillatio. A cœlo, & ab inuicem astra distingui specie probabile est.

10. Astris in sublunaria concedendus influxus & actio. Mineras, plantas, animalcula ex putri nasci solita, virtute produci astrorum problema est nostræ Scholæ. In liberam hominis voluntatem nil iuris directi habent. Ingeniorum bonitas vel malitia temerè in ea, vt in causas per se, referatur. Occultas astrorum qualitates, quas vulgò Influencias vocant, nostra humilis ignorat Schola. Secreta naturæ, lumini, motui, naturaliq; rerum simpathiæ & antipathiæ adscribit.

11. Cœlum instar libri post diem iudicij complicadum vaticinatur Isaias, explicatum ergo nunc apertumq; habent Astronomi : & sanè, per me licet, legant, reuoluant, futura ominentur. Tu hospes beneuole, moribus, vitæ studiis, fortunæ successibus, quos prædicunt, haud fide; morbis, ventis, bellis, pluuijs, assentire cum formidine. Eclipses, Æquinoctia, Solstitia, Quatuor anni tempora, nundinarum certis locis solemnia certò prænuntiare possunt.

12. Cœlum nostrâ sententiâ liquidum, sua, quâ longè latèq; patet, vastitate quiescit; ad motum astrorum se-

cundùm nonnullas partes mouetur, vt aër ad motum passeris. Astra per cœlum gyraunt Angeli, quæ conuersio in rigore astris neutra, vulgò tamen putatur naturalis. Ab occasu in ortum non verè sed apparenter mouentur. Sublato astrorum motu non illicò, sublunarium actiones nostraq; cessaret disputatio, moueres optime disputator, vnâ mecum, linguam; vt Iosue, Sole, Lunaq; stantibus, gladium versabat, hostesq; sternebat.

ELEMENTA PARTES VNIVERSI.

13. Elementa ob quaternariam primarum affectionum combinationem quatuor assigno. Ignem ad cœli concava proximâ consistere statione, vel flammæ ipsius in superum locum euolantis, non irritus suadet conatus. Igni confinis est Aër; huic Aqua subsequitur; omnibus terra natiuâ subsidet grauitate. Congregauit tamen Dominus sicut in vtre aquas maris, terramq; mari, bono hominis, fecit altiozem.

14. Molem elementorum baculo Iacob Mathematici dimetiantur. Terram Aquâ profundiozem esse bolis etiam nautica explorauit. Aër magnitudine Aquam excedit, supremâ regione, Cometis terræ nociuum præbet diuersorium, quanquam hos ipso quoq; cœlo identidem spatari Anni 1618. Cometes minore quàm aliorum Planetarum parallaxi comprobauit.

15. Elementa vel leuia vel grauia sunt. Num aliquod suo loco grauitet? problema esto. Loca propria repetunt, non generantis, sed Formæ propriæ qualitatumq; mouentium impulsu. Grauitas & leuitas non in singulis elementis specie

specie distinguuntur. Promanant à Formâ substantiali primisq; accidentibus, si raritas & densitas accedat.

16. Grauia & leuia citatiùs propè finem moueri naturaliter, frequens proclamat experientia. Celeritatis istius ratio à medio desumenda. Proiectis multi anonymam imprimunt qualitatem, ac suæ immemores doctrinæ, duonumerica, vnum in subiectum cogunt accidentia. Verisimiliùs existimo, quicquid violento motu proiectum est, ab aëris diuersis partibus dispari motis ratione impelli ac deferri.

ORTVS AC INTERITVS CORPORVM *sublunarium.*

17. Res infra Lunæ orbem continuò quò ad substantiam oriri ac interire palam est. Generatio rectè in Lycæo definita, esse mutatio totius in totum nullo sensibili manente vt subiecto eodem. Cùm sit quædam ad naturam via, & habitibus præsentibus cesset mutatio, Generationem cum Aristotele dicemus esse præuiam, prout ad substantiam ceu terminum extrinsecum vergit, alterationem.

18. Definitio generationis perperam in rei naturalis interitu ruinam omnium infert accidentium, eadem planè numero in genito manere quæ in corrupto præcesserant, vel sensus ipse luculento est argumento. Non minùs perperam eadem colligit, vel vnâ composito Formam substantialem inesse, vel eidem vt subiecto accidentia proximè inharere. Gerit eiusmodi subiecti rationem materia, cui sanè cuncta sui generis accidentia non mediâ Quanti-

tate (vt quid enim Accidens Accidenti, vt culcitram culcitrae supponas?) sed immediatè proximèq; innituntur.

19. Ortus ac interitus vnico temporis momento expediuntur, ille tamen naturâ præcedit illum, quocum adeò stricta societate coalescit, vt Generatio vnus ordinariè sit corruptio alterius, & è contra, idq; tum concomitanter, tum causaliter. Generationem primariò, Corruptionem secundariò natura intendit. Vtramque vnica reali perficit actione, omnis quippe actio Aristoteli remotiua est.

20. Res ex integro corrupta, naturalium causarum ope, non potest eadem secundum numerum reparari. Diuinâ tamen potentiâ, esto quòad Formam interierit, potest pristino reddi statui; non ea duntaxat quæ permanentium serie continetur, sed illa quoque quam defluens natura successiuorum cooptauit classi. Ergo quæ de Phænice, aut pullis Pelicani rediuuiis circumferuntur, Philosophis apocrypha sunt.

ALTERATIO.

21. Alteratio est mutatio in qualitatibus contrarijs aut medijs manente subiecto sensibili eodem. Qui discretis eã morulis ac minimis absolui putant, Musicum magis olent quàm Philosophum. Intenditur Qualitas non per solam contrarij abiectionem, nec per radicationem, sed per aduactionem gradus homogenei ad gradum non heterogeneum.

22. Contraria in gradu remisso idem subiectum non respuit, modò vnum conceptu suo formali alterius non inuoluat

uoluat priuationem. Quæ remissa, eodem in subiecto, natura patitur. Diuina virtus potest eadem in gradu intenso conseruare. Intendi remittiue qualitatis solius proprium est, nec tamen omnis.

23. Intensio Qualitatis gaudet intrinseco suæ magnitudinis termino, minimo tamen ob rationem continui destituitur. Viuentia utroque potiuntur. Maximus homo in maxillâ percussus in Quantitatem non excresceret maiorem. Elementa, naturâ sua, neutrum vendicant terminum, sed versùs maximum & minimum protendi possunt absque fine. Indiuisibilia Physica in Peripathetica sententia non agnosco; si tamen aliquod ex hypothese separatim existeret, loco moueri sed non alterari posset.

A C T I O.

24. Productio entis Physici non semper immediatûm exigit Substantiæ contactum; potest Actio exerceri indistans si continuè per totum medium diffundatur; intèsius nonnunquam distans alterari quàm medium nil prohibet. Absolutâ Dei potèntia aliquod Agens posse in distans operari, de factoque Christum Dominum suâ Humanitate Physicè concurrente pluries fuisse operatum, multorum Theologorum verisimilis sententia contestatur.

25. Inter Agens & Passum non semper distinctio realis intercedit. Dissimilitudo prærequiritur semper in Forma, seu gradu eius, nam inter similia nulla datur actio, esto conditionum materialium disparitas accedat. In Actione quæ fit per antiperistasin nil agit propriè in seipsum, augefcit in ea qualitas, si fuerit natiua subiecto à forma propria
debi-

debitum repetente statum; si fuerit peregrina, vires sumit ab extrinseco.

26. Ne agentia nimio plus insolescerent, rerumq; conseruationi prouideretur, optimo naturæ consilio omne agens conformis materiae intra sphaeram debitam constitutum, repatitur à patiente secundum eandem qualitatem omnino quâ agit. Nec sequitur partem repassam motibus affici contrarijs, quia non repassa vt hostem debellet fortiozem, eò totam vim suam confert, partisq; repassæ dispendium benè prouida dissimulat.

ELEMENTA MATERIAE MISTIONIS.

27. Elementa principia sunt Mistionis, singula binam vendicant Qualitatem, vnam in summo, alteram in excellenti; suæ tamen contrariæ haud permixtam. Vnaquæque positua & actiua est, tantumq; resistit quantum agit. Quæ symbolæ sunt, specie non distinguuntur, nec calor elementaris à coelesti & animali.

28. Quoduis elementum potest è quouis immediatè generari. Symbola facilius ad inuicem transmutantur, quàm dissymbola. Duo non habentia symbolum possunt occasu suo tertium specie distinctum eniti; symbola minime id præstant, nisi casu aliquo iam fracta & debilitata descenderint in pugnam.

29. Mistio est mistibilium alteratorum vnio. Nulla sine quatuor elementis perficitur. Aquam vino modicè affusam, multi in substantiam vini conuertunt autumant, sed magno

magno cauponariæ scandalo. Probabilius est aquam, naturæ cum sit tenacissimæ in vinum non conuerti, & in calice consecrato immediatè in Christi sanguinè commeari.

30. Elementa manere actu secundum suas formas in misto ad bilem vsque contendunt Medici. Non minori stomacho pugnant Peripatetici, pro sola virtuali penes qualitates castigatas continentia. Ne à Philosophis desertionis infimulemur, Medicisque, quorum sæpius egemus ope, suum deferamus honorem, vtramque non inuiti sustinemus opinionem. Mistum æquale ad pondus, non motiuæ, sed alteratiuæ Qualitates exhibere possunt.

EX LOGICIS.

31. Vniuersale opus est rationis, quamuis hæc primæua cognitione attingat singulare, quo per actum præcisium abiecto naturam in statum vindicat vniuersalis.

32. Genus immediata prædicatione descendit ad individua. Substantiæ Categoriæ si communibus repurges facibus, solâ ratione independenter à subiecto existendi relicta, meritissimò D. O. M. Nominalium sententiâ complectetur.

33. Relatio à proximo fundamento non re modoue intrinseco pullulante, at solo connotato secernitur. Multiplicato secundum numerum termino, numericam in fundamento non refugit multitudinem.

EX PHYSICO AUDITV.

34. Materia prima mater gremiumq; formarum imm-
rito meritâ spoliatur existentia, si à sola Forma existere a-
feratur, de facto illam existere non à forma ad hominem
demonstrabo.

35. Substantia immediatè producit substantiam. V-
num accidens sæpè sæpius producitur ab alio, virtus ta-
men productiua substantiæ, supra virtutem accidentium
enti defertur accidentario.

36. In Continuo partes actu realiter distinctas agnosco
Potest Angelus vacuum orbi inferre, sed in eo nullus pro-
gressiuus, nullus projectorum motus vi posset effici na-
turali.

EX ANIMASTICA.

37. In Viuente præter animam plures dari formas par-
tiales, non improbable puto, contrarium quoque libens
in gratiam Nominalium sustineo. Tu optime disputator
pro arbitrio depugna.

38. Anima rationalis informat Corpus indiuisibiliter,
tota existens in toto, totaque in omni ipsius parte. Ani-
mas brutorum quorumcunq; vt & Plantarum diuisibiles
agnosco.

39. Potentias non distingui realiter ab anima detur No-
minalibus, cur enim anima suos actus immediatè non effi-
ciat,

ciat, si per te immediatè potentias efficit? Actus vitalis quò ad substantiam potest diuinitùs produci sine concursu vitalis potentia.

40. Animantium proximum nutrimentum Sanguis, quem nonputo animari. Remotè nutrit quidquid in substantiam viuientis potest commutari. Sola neminem nutriunt accidentia, quomodo enim famem eludas solo odore aut forma?

Disputabuntur in Conuentu SS. Corporis Christi Casimirie ad Crac. Anno Dñi, M.DC.XXXVII.

Mense Ianuario. Die VI. Hora XX.

Obiecta diluet Simon Ludouicus qui supra.

*R. D. Hyacintho Liberio, S. T. D. eiusdem Ecclesie
Predicatore Ordinario, Philosophiaq; Professore
attendente.*

Ad maiorem Dei Opt: Max. gloriam.

... in parte immediate potentia essentia
... ad substantiam potest divinitus producti sine concu-
... in vitam potentia
... Annuntium proximum nuntium sagis
... non in parte animarum. Re. note nunc quid in sub-
... vitam vivens potest communit. Sola nomen in-
... in parte immediate potentia essentia
... in parte immediate potentia essentia


... in parte immediate potentia essentia
... in parte immediate potentia essentia

... in parte immediate potentia essentia
... in parte immediate potentia essentia
... in parte immediate potentia essentia
... in parte immediate potentia essentia
... in parte immediate potentia essentia
... in parte immediate potentia essentia
... in parte immediate potentia essentia
... in parte immediate potentia essentia
... in parte immediate potentia essentia
... in parte immediate potentia essentia



Alma Mater Dei Optima Gloria

8998
6



5826.

8998/6

